

_Lettera_N_3002

Al papa Leone XIII

Beatissime Pater,

Augustae Taurinorum die decima tertia mensis junii 1879

Joannes Bosco Piae Societatis Salesianae Rector Major ad Pedes Beatitudinis Tuae provolutus pro eadem pia societate humillime exponit:

Haec Congregatio cum absolutam adprobationem a Sancta Sede consecuta est, statim more aliarum Congregationum Privilegiorum communicatio petita fuit sed responsum est: Communicationem Privilegiorum prout petitur non expedire.

Pro ratione dabatur nimis recentem esse adprobationem, ideoque Privilegia quae magis sunt necessaria speciatim esse petenda.

Quapropter nonnulla Privilegia quae magis magisque sunt necessaria ut salesiana congregatio finem suum consequi possit, necnon lucrum animarum promovere, sequentia Privilegia postulantur.

1° Superiores Domus possunt divinum officium commutare in favorem illorum, qui laboris onerantur, praecipue tempore Missionis, vel cum subditi graviter sunt defatigati, aut non levi morbo laborant. 2° Superiores cujusque domus congregationis omnia munia Parochialia exercere possunt erga omnes habitatores domus. Hinc omnes salesiani Presbyteri jam ad audiendas sacramentales confessiones in aliqua diocesi approbati, sola superioris deputatione hujusmodi habitatores aliosque de familia in confessione audire valent. Idem confessarii socios secus iter habentes absolvere possunt etiam extra diocesim in qua extat domus praecipue cum ad exterarum missiones proficiscuntur, vel in regionibus semi barbaris sacrum ministerium exercent.

3° Habita ratione temporum, et magnae pecuniae sacerdotum; praesertim eorum qui ad exterarum missiones mittendi sunt, clerici salesiani dummodo necessariis praeditis sint requisitis, extra tempora a sacris canonibus statuta, Ordines tum minores tum majores suscipere possunt, servatis servandis, etiam quoad interstitia, quorum dispensatio semper ad Episcopum ordinantem spectabit.

Haec duo ultima Privilegia jam concessa fuerunt ad tempus, quod lapsum est die vigesima prima aprilis anni currentis. Ideo hujusmodi Privilegia cum salesianae congregationi summopere sint necessaria, quibus ceterae congregationes Ecclesiasticae gaudent, humiliter et enixe petitur ut confirmentur, atque si bonum in Domino Sanctitatis Tua, Beatissimae Pater, judicaverit, in perpetuum extendantur.

Inter Congregationes, quae supradictis privilegiis fruuntur, ad notare juvat Congregationem Piorum Operariorum.

Brevi 24 Maji 1751 sub Benedicto XIV. Clemens XIV Brevi: Supremi Apostolatus pro Passionistis. Itidem Leo XII die duodecima septembris 1826 pro Oblatis Beatae Mariae Virginis. Tandem pro Congregatione Missionis Pius IX Brevi: Religiosas Familias 13 Maji 1859

Sac. Gio. Bosco